

rum non aliud docuisse, quam sine cogitatione mentis & assensu voluntatis fieri conversionem. Verum enim verò atrocissima est, ut vident omnes, accusatio, si accusatio; & non calumnia. Non enim illa fuit mens B. Lutheri, quasi conversio hominis non renati, absque prædicatione & auditu verbi fieret: item, quasi in conversione per Spiritum S. penitus nulli novi motus in nobis excitarentur, neque ulla spiritualis operatio in nobis inchoaretur; sed negavit ad illos actus, intrinsecè bonos, Voluntatem naturalibus suis viribus activè concurrere, hoc est, negavit in voluntate superare δύναμιν, quandam conversionis ἐνεργητικὴν, quam per gratiam prævenientem excitata proferat, & hac ratione Spiritui S. cooperetur.

### CAPUT III.

## De Conversionis Effectu.

**I.** Effectus Conversionis duplex est, unus formalis, consequens alter. *Effectus Formalis* est nova creatura; nam in Conversione extinctâ infidelitate accenditur & conferitur homini fides, non historica, quæ etiam in hominibus non renatis & diabolis locum habet, sed fides salvifica in actu primo spectata. Cùm hæc non solum ceu vita spiritualis ex Conversione immediatè fluat, sed etiam contradistingvat, subjectum conversum à quovis alio. Consistit verò hæc fides salvifica, (1) *in Notitiâ*, quæ ratione principii divina est, ac pars prima fidei salvificæ nuncupatur. Fieri enim non potest, ut quis fidem salvificam habeat, nec tamen objectum fidei cognoscat. Contra Calvinianos. Verùm fides salvifica in Notitia ultimatè non terminatur, quippe cum Notitia Viatorum imperfecta sit, tum ex parte objecti, tum modo apprehendendi, & cadit etiam in hypocritas. (2) *In Assensu*, qui à rationis Assensu objecto distinctus esse deprehenditur. *Fides & ratio*, inquit B. Balduinus in comment. sub. Epist. Paul. pag. 94. §. 1. *diversa habent objecta; si les τὰ πῖσά, quæ interdum sensum*  
buma-